

Graciam aufugisse : ac tum demum non parvam Appuliæ partem Guilelmi ductu Normanis armis accessisse. Sed quum sapius de possessione ipsius terræ vario esset eventu pugnatum, accidit ea tempestate, ut Michael Imperator cum tribus filiis a Nicephoro Byzantio ejectus sit. Is cum Ruberto Guiscardo, qui tum forte Tarentum obsidione premebat, egit (constat enim, per id tempus, illius ductu rem Normanicam in Italia floruisse) ut in Graciam transfiret : fore affirmans, ut Nicephoro ejecto, quod facile se annitente fieri posset, ipse rerum in Græcia postmodum potiretur. Gregorio præterea ad id ipsum hortante, confestim soluta obsidione Hidruntem petiit : eo copiis omnibus ad idem convenientibus, atque in navem impositis, prospera usus navigatione, primo Aulonem tenuit : hinc Dyrachium profectus, terra marique urbem obsidione cingit. Nicephorus contra Ruberti & Michaelis conatus Alexium cum terrestribus copiis ad Dyrachium obsidione levandum mittit. Is cum Silvio Principe Nicephori nomine egit, ut validam Veneti classem adversus Normanos compararent. Sunt qui scribant : Nicephorum per legatos id a Venetis ante Alexii adventum impetrasse. Numerosa itaque classe Venetus Princeps in Normanos movit : atque ubi Dyrachium ventum est, hostisque in conspectu fuit, suos ad pugnam expediri jubet : nec diu cunctatus in eum Silvius ferociter invehitur. Contra hostes & ipsi ingenti animo suarum rerum successu nixi, intrepide Hadriacas excipiunt triremes. Veneti tanto ardore pugnam capeffunt, ut non pro socii imperii dignitate, sed pro ipsa patria pugnare viderentur. Diu ancipiti eventu est dimicatum : demum soluta hostium classe, navibusque partim captis, partim aut submersis, aut fugatis, victor Venetus mare antea occlusum Dyrachinis aperuit.

*Veneri Normanos vincunt.*